



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 5. Quandonam Corpus Christi defnit esse sub speciebus
Sacramentalibus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Euchar. Cap. VIII. 167

ordinem, quia nequeunt sustentari à Corpore & sanguine Jesu-Christi. Neque etiam, ait D. Tho. 3. p. 1. Divus Thomas, est possibile, quòd Corpus Christi gloriosum & impassibile existens alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates. Et ideo relinquitur, quòd accidentia in hoc Sacramento manent sine subjecto, quod quidem virtute divina fieri potest. Cùm enim effectus magis dependeat à causa prima, quàm à causa secunda; Deus qui est prima causa substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtractâ substantiâ, per quam conservabitur in esse, sicut per propriam causam; sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis: sicut humanum Corpus formavit in utero Virginis sine virili semine.

D. Tho. 3. p. 1. q. 77. art. 1. in corp.

Cujus rationem affert sanctus Basilius dum ait: Cùm enim Deus possit plus facere, quàm noster intellectus intelligere, & intellectus intelligat accidens præter subjectum: ergo Deus potest hoc facere, quòd accidens sit sine subjecto.

S. Basilius in Hexameron,

Quæst. 4. Potest-ne convenientia quædam afferri, cur accidentia manere debeant sine subjecto in Sacramento Eucharistiæ?

Resp. Sanctus Thomas hanc egregiam adducit rationem, dum ait: Accidentia sine subjecto in Sacramento existunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur sub aliena specie occultatum & sensus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant sibi notis: Et ita per cognitionem horum accidentium fidem nostram excitemus, qua docemur Corpus Christi Domini verè sub his accidentibus contineri.

S. Th. Opusculo 75.

Quæst. 5. Quando nam Corpus Christi Do-

mini definit esse sub speciebus Sacramentalibus ?

D. Tho. 3. p.
q. 77. art. 4.
in corp.

Resp. Sic respondet Divus Thomas : Cùm Corpus Christi & sanguis succedant in hoc Sacramento substantia Panis & vini ; si fiat talis immutatio ex parte accidentium quæ non suffecisset ad corruptionem Panis & vini ; propter talem immutationem non definit Corpus & sanguis Christi esse sub hoc Sacramento , sive fiat immutatio ex parte qualitatis , putà cùm modicum immutatur color aut sapor Panis vel vini ; sive ex parte quantitatis , sicut cùm dividitur Panis aut vinum in tales partes , quòd adhuc in eis possit salvari natura Panis aut vini . Si verò fiat tanta immutatio , quod fuisset corrupta substantia Panis & vini ; non remanent Corpus & sanguis Christi sub hoc Sacramento : & hoc sive ex parte qualitatum , sicut cùm ita immutatur color & sapor , & alia qualitates Panis & vini , quod nullo modo possit compati naturam Panis aut vini : sive etiam ex parte quantitatis , putà si pulverisetur Panis , vel vinum in tam minutas partes dividatur , ut jam non remaneant species Panis vel vini .

Quest. 6. Species Sacramentales possuntne corrumpi , & inservire generationi alicujus substantiæ ?

Resp. Certum est , atque experienciã compertum , multa sæpè ex Eucharistia generari ; patet enim ad sensum ex speciebus nimio humore corruptis , vel morã diuturniore servatis , vermes generari , easque combustas in cinerem redigi , efficique acetum ex vino . Quod quomodò fieri possit , ostendit Divus Thomas his verbis ; Species Sacramentales retinent idem esse quod prius habebant substantiã Panis & vini existente : & ideo sicut esse horum

D. Tho. 3. p.
q. 77. art. 3.
in corp.